

Postquam ex voto violenti regni phantasia cessit, remordente peccatorum conscientia se Monachum voravit. Sed statim ad vomitum reversus, monachi voto irrito primas nuptias sprexit, uxorem filii fratris sui viventi adamavit, filium illum fratris, uxoremque aliquandiu à se habitam occidit, adamatam illam filii fratris uxorem connubio adscribit. Verum hæc historicis relinquenda, qui hætenus falso hos sibi invicem successisse prodiderunt, cum semel simulque (ut ex Gilda videre licet qui singulos alloquitur) in diversis insulæ partibus tyrannidem arripissent.

Illæ autem Britannorum superstites reliquæ in occiduos insulæ tractus naturæ munimentis, montibus, & æstuariis obseptos, scilicet in *Walliam*, quam nunc dicimus, & *Cornwalliam* se subdixerunt. Hujus incolas Saxo *Britpealer* illius *Cornpealer*, ut Gallos *Gabveales* nuncupavit.

*Cornwallis.*  
*Britveales.*  
*Wallis.*

Quod enim exterum & peregrinum, *Wallis* illis dicitur, unde etiam *Wallones* in Belgica, & *Wallachi* ad Danubium nomina traxerunt. Hi *Britowalli* bellicosissima gens multis seculis libertatem sub suis regulis tutati sunt, licetque fossa admirandi operis, quam *Offa Rex* perduxit, ab Anglo-Saxonibus fuerint disclusi, eorum tamen urbes ferro, flammaque subinde vastarunt, itidemque ab illis gravissima quæque pertulerunt. Tandem *Edwardo Primo* regnante, ut ipse de se scribit, *Divina providentia que in sui dispositione non fallitur, inter alia sue dispensationis munera, quibus nos & regnum nostrum Angliæ decorari dignata est, terram Walliæ cum incolis suis prius nobis jure feudali subjectam, jam sui gratiam proprietatis nostræ dominium, obstaculis quibuscumque cessantibus, totaliter & cum integritate convertit, & coronæ regni prædicti, tanquam partem corporis ejusdem annexit, & univit.* Subsequenti tamen ætate nullo modo induci potuerunt, ut servitutis jugum subirent, nec ulla ratione res componi, & funestissimum inter gentes odium restingui potuit, donec *HENRICVS VII*, ab illis oriundus salutarem

*Statutum Walliæ.*

manum jacentibus Britannis porrexerit, & *HENRICVS VIII* in parem juris libertatisque conditionem, atque nos ipsi Angli sumus, acceperit. Ex quo tempore, & non paucis ante annis immobilem eorum fidem, obsequiumque Angliæ reges sunt experti. Illi vero *Cornwalli* licet vires omnes ad patriæ salutem tuendam animosè contulerint, cito tamen in Saxonum potestatem concesserunt, utpote nec numero valuerunt, nec regio fatis à natura munita eos tutari poterat.

Hæc de Britannis & Romanis dicta sufficiant. Sed cum de incolis agatur non hic tacendum est, etiam si jam ante diximus, quod *Zosimus* tradit, *Probum Imperatorem Vandalos & Burgundos*, quos devicerat, in Britanniam misisse, qui sedes hic nacti utilem operam Romanis præstiterunt, quoties aliquis seditionem moliretur. Vbi vero sederint nisi in agro *Cantabrigiensi* nescio. *Gervasius* enim *Tilburienis* meminit antiqui valli in illo agro, quod *Vandelsburg* vocat, *Vandalorumque* opus fuisse dicit.


*Lib. 1.*  
*Vandali & Burgundi in Britannia.*

Nec suspicetur quispiam *Constantii* temporibus *Pœnos* hic sedes habuisse ex his *Eumenii Rhetoris* verbis, *Nisi forte non gravior Britanniam ruina depresserat, quam si perfusa regetur Oceano, quæ profundissimo Pœnorum gurgite liberata ad conspectum Romane lucis emerfit.* *Vetustus* enim codex, qui fuerat *Humfredi Ducis Glocestrensis*, postea honoratissimi *Baronis Burghlæi summi Angliæ Thesaurarii*, *pœnarum gurgitibus* legit. De calamitatibus enim & pœnis loqui videtur, quibus sub *Carausio* fuit affecta.

Quod *Agathias* in *historiarum* secundo habet, *Hunnica natio Britones sunt*, ne quis inde *Britannos* in calumniam trahat, vel *Hunnos* existimet. *Vetustus* etenim *Græco codice*, non *Britones* legi, testatus est mihi jam pridem *vir eruditissimus Franciscus Pithæus*, & nunc prodidit *I. Lewenclaus* de re *historica* meritissimus.

P I C T I .

*Picti.*



**A**D alios Britannæ incolas nunc accedamus, & primum ad *Pictos*, quibus primas in antiquitate post *Britannos* detulerunt *Historici*. Hos *Hector Boetius* ab *Agathyrhis*, *Pomponius Letus*, *Aventinus*, & alii à *Germanis*, nunulli à *Pictonibus Galliæ*, *Beda* à *Scythiis* deducit. *Contigit*, inquit, *gentem Pictorum de Scythia (ut perhibent) longis navibus non multis in Hiberniam pervenisse, à Scotis quos ibi invenerunt, sedes frustra petiisse, eorum suafu Britanniam adiisse, & per Septentrionales ejus partes habitasse, idque circa annum reparatæ salutis, ut multi volunt, septuagesimum octavum.*

Ego in tanta varietate quid sequar non video, ut tamen quod res sit dicam, & sententiam meam proferam, Nisi hac in re venerabilis *Beda* auctoritas omnibus omnium ocnjecturis præponderaret, *Pictos* non aliunde advectos, sed ipsissimos fuisse *Britannos*, veram *priscorum Britannorum sobolem* existimarem. Illos nimirum *Britannos* dico, qui ante *Romanorum adventum Borealem insulæ partem* insederunt,

quique ad hos, servitutis jugum repellentes (ut est natio servitutis impatientissima,) postea confluerunt. Quemadmodum incurfante *Saxone*, *Britanni* qui sua libertate se abdicare nollent, in occiduas insulæ regiones, montibus asperas, *Walliam & Cornwalliam* se subdixerunt: sic proculdubio, *Romano ardente bello*, *Britanni* ne servitutem, omnium malorum extremum subirent, in has *Boreales partes*, quæ cœli inclementia rigent, confragosis locis horrent, & *Oceani alluvionibus paludibusque stagnant, se receperunt.* Vbi non tam suis telis, quam suo cœlo, & *sydere armati*, cum indigenis, quos ibi offenderunt, in numerosam gentem succreverunt. *Author* enim est *Tacitus Romanorum hostes* in hanc partem veluti aliam insulam à *focero suo Agricola* submotos fuisse, & nemini dubium quin *Britanni* fuerint, qui has remotissimas insulæ partes incoluerunt. Quid, omnes ne illos *Britannos Romanorum hostes*, qui *triginta millia armatorum* contra *Agricolam* eduxerunt, qui tantis *cladibus Severum* affecerunt, ut una expeditione *septuaginta millia Romanorum, & fociorum* desiderarit,